

te est, neque procul positum, vel in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, et opere impleamus? Ubi considerandum est verba illa dirigi ad populum a Deo vocatum, et supernaturaliter illuminatum, aliisque auxiliis gratiæ sufficienter instructum. Quamvis enim illa lex vetus populo illi gratiam non conferret, tamen Deus, qui legem illam dabat, necessaria etiam gratiæ auxilia ad illam implendam propter Christum offerebat, et ideo dicit: *Mandatum non supra te est*, non quia non esset supra naturæ vires, vel quia sine gratia posset impleri, cum statim ibi proponatur summum præceptum diligendi Deum super omnia, sed quia non erat supra vires illius populi sub tali providentia gratiæ constituti. At si, inter vires necessarias ad mandatum implendum, est illa determinatio, quam Deus solus facere potest, et tribuit illam cui vult, et cui vult negat, profecto mandatum Dei est supra hominem quantumvis gratia instructum, si determinationem illam non habet; quia talis determinatio supra hominem est, et in cælo est (ut sic dicam), nec habet modum aut viam qua illuc ascendat ad illam obtinendam. Declaratur exemplis: nam si Deus præcipiat mihi prophetare aut miracula facere, et non det donum prophetiæ aut gratiam miraculorum, nec modum obtinendi illam, profecto merito dicitur tale mandatum esse supra hominem, et esse procul et in cælo situm, etc. At non magis potest voluntas hominis determinari ad diligendum Deum sine prædeterminatione Dei, quam prophetare sine dono; ergo, si Deus nec dat talem determinationem, nec modum obtinendi illam, dat præceptum supra hominem, quia, in præcepto diligendi Deum, continetur ut voluntas determinetur ad diligendum illum. Atque ita reliqua omnia, quæ in illo capite subsequuntur de propositione boni et mali, vitæ et mortis, et præcepto eligendi vitam, eandem veritatem confirmant.

4. Alia denique sunt testimonia, quæ non solum probant auxilium prædeterminans non esse necessarium ad opera pia, sed etiam repugnare illis, quatenus esse debent opera humana, et quæ in laudem et meritum ipsius hominis operantis cedant. Hæc autem testimonia eadem sunt cum illis quibus in proleg. 1, et in cap. 4 hujus libri, contra Calvinum probavimus auxilium efficax non consistere in motione necessitante voluntatem. Præcipuum vero est illud Ecclesiast. 15: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu*

*consilii sui. Adjecit mandata, et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod voluerit dabitur illi; quem locum in dicto cap. 4 late tractavi, et imprimis ostendi non esse limitandum ad statum innocentiae, sed absolute de omni statu esse intelligendum. Quia licet ea omnia dicantur de homine ab initio creato, continent tamen intrinsicam hominis proprietatem, quæ per peccatum non amittitur. Deinde certum est illa omnia non solum dici de actibus ordinis naturalis, sive civilibus, sive moralibus, sed etiam de supernaturalibus, quia homo est relictus in manu consilii, in ordine ad consequendum, vel amittendum finem ultimum propter quem creatus est, qui finis supernaturalis est, et per actus supernaturales comparatur. Unde cum dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te*, non solum de naturalibus, sed maxime de supernaturalibus intelligitur, quia horum observantia imprimis necessaria est ad vitam animæ (de qua ibi etiam maxime sermo est) obtinendam et conservandam. Unde tandem fit ut illa intelligantur de homine non solum naturalibus viribus instructo, sed etiam supernaturaliter vocato, et in eo statu constituto in quo possit de supernaturaliter agendis consiliari, et de observatione præceptorum etiam supernaturalium delibere, et quæ ad vitam vel meritum ducunt eligere. Hinc ergo argumentamur, sicut ex his verbis colligitur libertas arbitrii in supernaturalibus, ita etiam probari usum libertatis consistere in determinatione voluntatis proveniente ab ipsa adhuc indifferente, et nondum ab alio determinata, ac proinde prædeterminationem repugnare modo operandi voluntatis, quem ex dono Creatoris habet voluntas, et quo in operibus gratiæ non privatur. Probatur hæc illatio ex ponderatione singulorum verborum. Nam illud, *in manu consilii sui*, significat proximam potestatem cum indifferentia, quam magis explicat conditio illa, *si volueris*, et augetur cum dicitur, *ad quod volueris porrigere*. Nam verbum hoc apertissime significat determinationem voluntatis ab ipsa habente simul proximam potestatem porrigendi manum ad aliud, quod etiam satis confirmat verbum *quod placuerit*.*

5. Respondent vera esse hæc omnia, et his verbis significari, nihilominus tamen per illa non excludi prædeterminationem Dei; nam licet voluntas humana prædeterminetur a di-

vina prius natura, nihilominus ipsa in posteriori signo naturæ se etiam determinat, et porrigit manum ad id quod vult, quia licet se libere determinet, non est tamen primum libero a se primo determinans, sed sub primo libero a quo prædeterminatur. Et ad hoc inducunt D. Thomam, 1 p., q. 22, art. 2. ad 4, dicentem per illa verba distingui hominem ab agentibus naturalibus, quæ non ducuntur consilio, quia habent virtutem operativam determinatam ad unum; non tamen excludi quin liberum arbitrium et tota providentia humana subdatur divinæ. Unde alii dicunt per illa verba excludi quidem a voluntate determinationem ad unum, innatam et intrinsicam naturæ suæ, non tamen excludi prædeterminationem ab auctore naturæ vel gratiæ extrinsecus immissam modo accommodato suæ naturæ, ita ut nec vim consiliandi aut eligendi auferat.

6. *Expenduntur illa verba*, constituit hominem et reliquit eum.— Sed hæc, in superioribus, variis modis impugnata sunt, et certe dicitis verbis Sapientis non bene accommodantur. Et imprimis considero duo illa verba: *Constituit hominem, et reliquit eum*; nam verbum *constituit* ad creationem hominis pertinet per quam constitutus est talis naturæ et libertatis; verbum autem *reliquit* ad providentiam pertinet per quam ita Deus gubernat hominem, ut illi offerens objecta, proponensque mandata, et virtutem ad consiliandum et operandum tribuens, illum ita relinquit in manu consilii sui, ut ei integrum sit, cum generali concursu simultaneo et proportionato, ad hoc vel illud manum porrigere pro sua voluntate. Ergo in verbo illo *relinquendi* includitur quod illum non prædeterminet, nam si jam prædeterminatus porrigit manum, id est, efficit volitionem ad quam est prædeterminatus ab alio, profecto jam non ipse se determinat, sed efficit id ad quod jam determinatus est. Confirmatur ac declaratur, nam cum Sapiens dicit: *Si volueris*, vel: *Ad quod volueris porrigere*, vel loquitur ad hominem constitutum in solo statu sufficientiæ, vel ad hominem jam prædeterminatum. Si primum dicatur, immerito illi dicitur: *Porrigere manum*, quia non potest illam extendere, nisi prius ab alio applicetur et prædeterminetur, quod non est in ejus potestate. Si vero dicatur secundum, frustra illi dicitur: *Si volueris*, etc., quia sic prædeterminatus non potest nisi unum velle, nec potest non velle.

7. *Declaratur*.— Declaratur ad hominem, nam illi auctores dicunt auxilium quo Deus

præmovet voluntatem, ut operetur si velit, non satis esse ut velit, nisi ultra illud accipiat auxilium quo prædeterminetur ut velit, vel, ut alii etiam aiunt, quo infallibiliter et inevitabiliter velit. Ergo in priori statu sufficientiæ frustra dicitur homini: *Porrigere manum* ad id quod volueris, quia nondum habet id sine quo velle non potest, nec illud habet in sua morali potestate. In altero vero statu, frustra et irrisorie dicitur ei: *Si volueris*, cum jam omnino ex necessitate sit voliturus. Non minus ergo probant dicta verba constitutum ac relictum esse hominem in potestate vera, et quæ possit reduci in actum, volendi sine prævia determinatione, quam in potestate volendi sine prævia necessitate; neque ad hoc refert quod homo non sit primum liberum, quia ad hoc satis est, quod in sua determinatione pendeat ab alia priori, et prima voluntate libera, ut jam sæpe explicatum est. Nec locus D. Thomæ facit ad causam; clarum est enim voluntatem creatam semper constitui sub providentia Dei, et a divina voluntate et consilio principaliter regi, ita tamen ut ejus indifferentia et electio non lædatur, nam hoc ipsum pertinet ad providentiam Dei, quæ sine causa ad illum modum providendi per prædeterminationem coarctatur. Denique jam supra ostensum est determinationem ad unum ab extrinseco proveniente, et necessitatem antecedentem, etiam si sit ab extrinseca causa, non minus repugnare libertati quam determinationem ab intrinseco. Imo magis quodammodo, in quantum induci possunt alia testimonia, quibus libertas arbitrii et usus ejus comprobari solet.

## CAPUT XXIX.

AN LOCA SCRIPTURÆ QUÆ DEPENDENTIAM LIBERI ARBITRII A VOLUNTATE ET OMNIPOTENTIA DIVINA TESTANTUR, PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM OSTENDANT.

1. *Respondetur testimoniis Scripturæ quæ defensores physicæ prædeterminationis in sua sententiæ confirmatione adducunt*.— Ad nostræ sententiæ confirmationem, non satis est ostendisse quam sit Scripturis divinis conformis, sed etiam explicare oportet nihil in divinis Scripturis reperiri, quod vel probabiliter illi officiat, vel auxilium physicæ prædeterminationis suadeat: hoc autem præstare melius non possumus, quam respondendo testimoniis Scripturæ quæ defensores physicæ prædeter-

minationis in suæ sententiæ confirmationem inducunt. De quibus imprimis generatim dicimus in nullo illorum verbum *prædeterminandi*, vel aliud æquivalens reperiri. Et primum quidem ex formalibus verbis ipsorum testimoniorum constat, ideoque neque ab ipsis argumentibus in illo sensu testimonia proferuntur: secundum partim in superioribus a nobis indicatum est, quia sæpe sumuntur argumenta a verbo generali ad speciale, ac si essent æquipollentia, ut a verbo *præmovendi* ad verbum *prædeterminandi*, et similibus. Et hoc est præ oculis habendum, nam omnia testimonia per similes illationes inducuntur.

2. Deinde advertimus Calvinum eisdem uti testimoniis ad probandum Deum, voluntate sua et motione prævia, necessitatem inferre voluntatibus hominum in omnibus earum actionibus, quibus catholici respondent male inferre, quia omnia, quæ illis locis docentur, potest facere Deus absque necessitate, et salva libertate, quam in aliis locis eadem Scriptura prædicat. Si ergo nos ostendimus omnia illa, quæ in eisdem testimoniis dicuntur, optime consistere sine prædeterminatione, et cum integra indifferentia in operando, et cum omni sufficientia et efficacia ac necessitate gratiæ quam in eadem Scriptura invenimus, profecto convincemus talia testimonia non magis ad probandam dictam prædeterminationem, quam ad suadendum Calvinum necessitatem valere. Quod majorem vim habebit, si consideretur vix posse mente concipi, nedum verbis declarari, quid in re ipsa inter hanc necessitatem et illam prædeterminationem intersit. Sed jam ad singula testimonia veniamus; quia vero quamplura multiplicantur, ad pauciora capita et ad certam argumentorum seriem illa reducere conabimur.

3. *Primo adducuntur loca quæ docent dependentiam liberi arbitrii a divina voluntate.* — Primo, inducunt illa testimonia quæ docent dependentiam essentialem in operando liberi arbitrii creati a divina voluntate, et maxime in operibus gratiæ. Hujusmodi sunt illa Isai. 26: *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis*; et 1 Corint. 12: *Operatur omnia in omnibus*, et similia multa quæ in lib. 3 adduximus. Et de operibus gratiæ maxime ponderari solent verba ad Philip. 1: *Qui cepit in vobis bonum opus, ipse perficiet*; et cap. 2: *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate*. Hinc ergo ita in virtute colligunt: Voluntas nostra ita pendet essentialiter a Deo in suis liberis

actibus, ut eos Deus ipse in nostra voluntate operetur; ergo efficacissima potentia sua prædeterminat Deus voluntatem ad talia opera. Item peculiariter tribuitur Deo in operibus gratiæ, quod ipsum velle in nobis faciat et inchoet pro sua bonâ voluntate; ergo id facit per efficacem voluntatem suam, nostram prædeterminando. In his testimoniis (quod de sequentibus etiam intelligatur), ut prolixitatem non necessariam evitem, non expendam accurate an testimonia in sensu litterali asserantur, necne, sed eum in quo allegantur facile admittam, ut ad punctum argumenti quod, ut dixi, in illatione consistit statim respondeam: quod dico, quia illa verba Isaiæ: *Omnia opera nostra operatus es in nobis*, ad litteram fortasse intelliguntur de flagellis divinis, ut exponit Hieronymus, vel de beneficiis mirabilibus, ut Cyrillus et D. Thomas ibi volunt; nunc vero admittimus illa verba de omnibus operibus nostris, quia de omnibus vera sunt, et ab Scholasticis passim in eo sensu afferuntur, ut patet ex Divo Thoma, 3 contr. gent., cap. 67, et ad Romanos 9, lectione 3, et aliis frequenter. Respondetur ergo negando consequentiam, nullum enim habet solidum principium in quo fundetur. Nam imprimis in l. 3 ostensum est, Deum non dici operari opera nostra propter prævium concursum, sed propter concomitantem. Deinde certum est Deum non dici facere opera liberi arbitrii, quia solus illa facit in nobis, sed quia illa nobiscum operatur; nam quod Deus nobiscum operando facit, vere ipse operatur, et simpliciter illi tribuitur, quia principaliter operatur, et sua virtute a nemine pendente, et omnibus dat operandi virtutem. Igitur ex illa locutione generali, et similibus, non potest inferri prædeterminatio in operibus liberi arbitrii, neque in operibus bonis, magis quam in malis. Et eodem modo de generali concursu exponit D. Thomas priora verba Pauli in epistola ad Corinth. Imo etiam ita interdum exponit posteriora verba ad Philipp., ut videre licet in Commentar. ad cap. 26 Isaiæ. Concedamus autem ultima verba Pauli de operibus gratiæ intelligenda esse, sed non propterea in illis probabiliter fundatur illatio: quia Deus operatur velle gratuitum in nostra voluntate sine prædeterminatione, quia voluntatem nostram præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.

4. Unde D. Thomas ibi ait illis verbis reprobari non tantum errorem Pelagianorum, sed etiam eorum qui dixerunt voluntatem nostram necessitari a gratia: *Quia hoc excludit* (inquit)

*Apostolus cum dicit: Operatur in nobis*; quia interior per instinctum movet voluntatem ad bene operandum; quod perfectissime fieri potest sine prædeterminatione. Imo ita fieri satis indicat Apostolus in eodem loco, cum præmittit: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*, et proxime subdit: *Deus est enim qui operatur in vobis*, ac si diceret: Non vestris viribus, sed divino auxilio potestis vestram salutem operari; et ideo eam cum timore operamini, ne Deus auxilium suum subtrahat ad perficiendum bonum opus, quod per idem auxilium in vobis inchoaverat, bonam voluntatem et propositum inspirando, sicut cap. 1 dixerat, et exposuit Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 9, et lib. de Don. persever., cap. 13, et serm. 94 de Tempore, cap. 3. Quibus in locis, et in multis aliis docet illa verba exhortationis et tacitæ comminationis ostendere quidem hominem debere suam salutem operari, sed principaliter illam operari Deum, et e converso ita Deum operari hominis salutem, ut oporteat ipsum hominem illam liberè operari, habentem in potestate sua non perficere quod Deus incipit, vel impedire auxilia quibus velle et perficere operatur in nobis. Hæc autem omnia vix, aut ne vix quidem possunt in auxilium prædeterminans convenire; quia illud non subest ullo modo potestati nostræ, vel ut detur, vel ut auferatur. Unde non est quod timeamus ne, aut propter opera nostra negetur, aut si detur, quod effectu ejus careamus.

5. *Secundo, adducuntur loca in quibus dicitur Deus habere liberum arbitrium hominis in manu sua.* — Secundo loco adducuntur loca in quibus dicitur Deus habere liberum arbitrium hominis in manu sua, ut quocumque voluerit vertat illud, sicut dicitur de corde regis, Proverb. 21, ubi fit mirabilis comparatio, quod: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit inclinabit illud*. Ubi non solum est sermo de potestate Dei in voluntatem regis, quoad executionem ejus, quam Deus facile potest impedire et mutare, sed etiam de potestate in internam ipsam volitionem, seu electionem, ut verba ipsa convincunt. Nam potestas supra executionem non est potestas in cor, sed in manum, vel aliam similem facultatem, nec impediendo executionem mutat interna voluntas per se loquendo; est ergo cor hominis in manu Dei quoad ipsam internam volitionem; ergo et quoad prædeterminationem. Hanc ergo verbo inclinandi significavit Sapiens, quia loquitur de

inclinatione efficaci, seu in actu secundo et deliberato, per illam enim cor mutatur. Et licet de rege loquatur, idem a fortiori de quocumque homine intelligit. Nam quia reges magis videntur esse sui juris et potestatis, ideo quasi per exaggerationem in eis ponit exemplum; de toto autem populo similiter dicitur 2 Paralip. 30: *In Juda vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum regis*. De quo etiam scriptum est Esther 15: *Convertit Deus spiritum regis in mansuetudinem*. Et similis est locus Ecclesiastes 9: *Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei*; ubi Chaldaica paraphrasis addit: *Et ab eo decretum est omne quod erit in diebus eorum*. Quasi dicat, quidquid homines deliberent, esse in manu Dei, ut ex decreto ejus omnia succedant.

6. Respondetur nullum catholicum posse dubitare quin omnium hominum, non solum potestates, sed etiam voluntates sint in manu Dei, et nihilominus de modo est inter eos magna contentio. Unde, ex eo quod Scriptura dicat cor regis esse in manu Dei, non recte inferitur hoc esse intelligendum ratione prædeterminationis, sicut non sequitur esse intelligendum ratione necessitatis. Dico ergo, quoad actus bonos cor hominis esse in manu Dei, quia per cogitationes sanctas et congruas, et per inspirationes et affectiones illis cogitationibus proportionatas, ita potest voluntatem hominis movere, ut quocumque voluerit vertat illam. Unde Beda, in Proverb., de solis justis locum illum intelligens, ait: *Cor regis in manu Dei; quia sicut divisiones gratiarum juxta suam voluntatem et Angelis et hominibus tribuit, ita etiam corda Sanctorum quibuscumque voluerit digna donationibus reddit. Neque ullum habet Pelagianista locum, quo absque Dei gratia quis salvus fieri possit*. Et sequitur ibi Gloss. ordin. Et Hieronymus solet de solis bonis regibus vel justis hominibus verba illa exponere, ut videre licet Jerem. 4, Ezechiel 28, et Daniel 5; nunquam tamen id putat esse dictum propter prædeterminationem, sed ad summum propter Dei perfectam gubernationem.

7. At vero D. Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., c. 21, etiam de corde peccatoris, et de inclinatione ejus, etiam ad opera mala, verba illa interpretatur; quod est consentaneum generalitati verborum, et nostram sententiam non infirmat, sed potius confirmat. Nam certum est non inclinare Deum directe et positive voluntates hominum ad mala opera,

multoque minus prædeterminare aut prædestinare illa, ut in libr. 3 ostensum est. Ergo si verba Sapientis comprehendunt etiam pravos reges, et prava consilia et decreta illorum, non intellexit Deum inclinare corda prædeterminando, sed aliquid aliud operando, vel operari sinendo, juxta materiæ capacitatem. Et ita Augustinus, ex illo et aliis testimoniis quæ congeserat, ita concludit: *His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona, pro sua misericordia, sive ad mala, pro meritis eorum.* Quod ultimum verbum non potest intelligi de prædeterminatione, tum propter absurditatem sententiæ, tum quia, si determinaret voluntatem ad malum, non semper id faceret propter demeritum, sed sua tantum voluntate, ut in libro etiam tertio ostensum est; tum denique quia in fine capituli ait Deum id facere *per Angelos bonos, vel malos, sive quocumque alio modo operando in cordibus malorum, pro meritis eorum.* Si autem Deus prædeterminat voluntatem hominis, certe id non facit variis modis, sed uno et determinato modo, neque facit per Angelum bonum vel malum, sed per seipsum. Angeli enim operantur in cordibus immittendo cogitationes, et per illas excitando affectiones; ergo si Deus per Angelos inclinatur voluntatem, non inclinatur prædeterminando; ergo etiam quando per seipsum inclinatur, non oportet ut id faciat prædeterminando, sed in bonis, ut dixi, congruas cogitationes immittendo, quæ per se et cum effectu in bonum a Deo intentum inducant; in malis autem, vel operando ea quæ per se bona sunt, cum præscientia quod ipsi male sint eis usuri, vel permittendo, ut mali Angeli eos ad malum inducant.

8. Et per hæc responsum ad alia loca quæ, per se spectata, nullam habent difficultatem; nam facile potuit Deus tribui Judæ dare cor unum, congrue totum illum populum excitando et movendo, ut infallibiliter regi consentiret, et tamen libere et sine prædeterminatione, licet non sine adjutorio divino consentiret. Et ita Augustinus, libr. 1 contra duas epistolas Pelagianor., cap. 2, ex his et similibus locis nihil aliud quam efficacis gratiæ auxilium colligit. Et similiter exponit locum Esther, nam eodem modo potuit Deus sine prædeterminatione convertere in mansuetudinem cor Assueri, per cognitiones menti et phantasiæ objectas, et excitando bonum et magnum affec-

tum in cor ejus erga Esther. Unde cum ipsa Esther, cap. 14, petiisset: *Converte consilium eorum super eos*, statim subjicit: *Tribue sermonem in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius.* Nam quia illa mutatio non per coactionem, vel necessitatem, nec certe per physicam prædeterminationem, sed morali modo faciendâ erat, petit sermonem compositum, id est, aptum et accommodatum ad movendum cum effectu cor regis, adjuvante Deo interius, rationes congruas proponendo, et affectiones aptas ad persuasionem excitando. Alter vero locus ex Ecclesiaste eandem habet responsionem, etiamsi intelligamus opera justorum dici esse in manu Dei, eo quod ex ejus liberali gratia et prædeterminatione pendent, quia nihilominus non pendent ex prædeterminatione, sed ex præmotione et vocatione congrua, vel generaliter ex Dei speciali providentia et ordinatione, ut Hieronymus ibi insinuat, qui non solum de operibus bonis, sed etiam de malis pœnæ quæ justis patiuntur, verba illa interpretatur, quia omnia justis eveniunt juxta divinæ providentiæ dispositionem. Potest etiam ille locus aliis modis exponi de operibus justorum, quia, licet magna circumspectione ab eis fiant, in manu Dei sunt, id est, in ejus potestate, et judicio, et trutina, et ipsos justos latet qualia sint, et ideo nesciunt an amore vel odio digni sint. Et aliis modis hic locus exponitur, sed prior expositio nobis sufficit, estque responsio dicta præ oculis habenda, quia multa similia loca per illam exponuntur, de quibus consuli potest Augustinus dicto libr. de Grat. et liber. arbitr., c. 20 et 41.

9. *Tertio, ex efficacia, et omnipotentia divinæ voluntatis.*—Tertius locus argumentandi est ex efficacia et omnipotentia divinæ voluntatis, ita enim dicit Deus per Isaiam, cap. 46: *Judicium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet; et in Psalmis dicitur: Omnia quæcumque voluit fecit, utique, quæ absoluta voluntate voluit, de qua etiam dicitur Esther 13: Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ.* Et similia sunt in Scriptura frequentia, ex quibus tale conficitur argumentum: Decretum divinæ voluntatis semper antecedit deliberationem voluntatis humanæ, quia illud est æternum, hoc temporale; illud est causæ primæ, a qua pendet et determinatur omnis effectus causæ secundæ; sed decretum Dei illud est efficacissimum, nec illi valet resistere humana voluntas; ergo semper præ-

determinat voluntatem, vel per seipsum, propter naturalem subordinationem et subjectionem humanæ voluntatis ad divinam, vel per motionem aut qualitatem aliquam, quam per suam omnipotentiam potest voluntati humanæ imprimere, ut suum decretum infallibiliter exequatur. Ergo in hac prædeterminatione ponendum est auxilium efficax, quia illa semper est efficax, et sine illa nullum auxilium potest esse efficax magis quam sine divina voluntate.

10. Respondetur quatuor catholica dogmata ad Deum pertinentia in illis testimoniis contineri, de quibus nulla potest inter catholicos esse controversia. Primum, consilium divinum semper stare, id est, nec deficere, nec frustrari posse, quia semper est prudens et rectum, et in scientia certa et infallibili fundatum. Secundum est voluntatem divinam efficacem et absolutam semper impleri. Tertium, quod est præcedentis fundamentum, in manu omnipotentia divinæ omnia esse constituta. Quia enim Deo *subest cum voluerit posse*, et quia nihil absolute vult nisi prudentissimo consilio, habensque in thesauris scientiæ et potentiæ suæ, media quibus possit infallibiliter exequi quidquid absolute vult, ideo talis omnis voluntas ejus infallibiliter fit. Quartum dogma est neminem posse resistere tali voluntati divinæ, quod sequitur ex duobus præcedentibus; nam si posset quis resistere voluntati Dei, posset efficere, in voluntas Dei non impleteretur. His addi debent alia ad hominem pertinentia, qualia sunt, primo, divinæ voluntatis efficaciam, et omnipotentiam non auferre, neque impedire humanarum operationum seu electionum libertatem; secundo, sæpe executionem divini consilii ac decreti pendere a libertate hominis. Tertium est ea quæ a Deo decreta sunt, ut per liberum arbitrium fiant, non fieri ab eo inevitabiliter, simpliciter et absolute loquendo; quia quod est inevitabile non est liberum, ut ex terminis per se notum videtur; quia quod evitari non potest sub humanam potestatem non cadit, ac subinde nec sub libertatem. Quartum est, voluntatem Dei decernentem de actibus a libero arbitrio præstandis, non auferre veram et proximam potentiam ejus ad agendum et non agendum, quia hæc est necessaria ad actus libertatem, ut in prolegomeno primo probatum est.

11. Cum ergo hæc nobis omnibus communia esse debeant, etiam difficultas dictorum testimoniorum omnibus communis est. Unde quidam illis oppressi negant posse Deum prædefinire absolute et efficaciter actus voluntatis

humanæ in particulari et cum omnibus circumstantiis, ejus salva libertate, quod nobis nullo modo probari potest, ut alibi ostendimus, et in hoc opere sæpe diximus. Suppositis ergo decretis præfinitibus ad intra, quia nobis illa testimonia objiciunt, putant non posse mandari executioni efficaciter, nisi per prædeterminationem ad extra, quæ talis sit ut, illa supposita, non relinquat in humana voluntate potestatem aliter volendi quam a Deo decretum sit, quia hoc putant necessarium ut non possit resistere voluntati divinæ. Sed non possunt nobis explicare quomodo talis voluntas maneat libera ad operandum, si ad unum prædeterminatur, et privatur potestate aliter operandi. Unde (quod majus est inconveniens) ipsa voluntas divina sibi ipsi repugnaret, volendo ut humana voluntas operetur sine libertate, id est, sine potestate aliter volendi. Nos autem dicimus decretum Dei non auferre a voluntate potestatem simpliciter aliter volendi aut operandi, etiam tali suppositione posita, quia non est decretum ita antecedens quin supponat præscientiam conditionatam futuri consensus liberi, si tali vocatione voluntas hominis præparetur et adjuvetur. Et consequenter negamus ad efficientiam talis decreti, esse necessarium et accommodatum medium, voluntatem prædeterminare ad unum, sed potius illam ita dirigere, ut infallibiliter faciat quod Deus decrevit, et hoc satis esse ut consilium Dei stet, et omnis ejus voluntas fiat, et ut in voluntate humana non sit potestas resistendi divinæ, quia nunquam valet ad effectum perducere oppositum ejus quod Deus decrevit. Quod totum provenit ex divina omnipotentia cum infinita sapientia conjuncta, et non repugnat libertati, quia supponit illius usum prævisum, et ad illum dicit formalem vel virtualemente habitudinem, ut explicatum est, et iterum in capite penultimo hujus libri dicitur.

## CAPUT XXX.

AN SCRIPTURA DICAT DEUM DARE NOBIS VELLE PROPTER PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

1. *Quartus locus, ex his quibus dicitur Deus non solum dare posse, sed etiam velle, vel agere.*—Quartus locus argumentandi sumitur ex his Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur Deus in operibus pietatis non solum dare posse, sed etiam velle, vel agere. In quo puncto præcipue ponderantur verba Pauli Rom. 4,